

posito, turcicarum triremium, captivorum, tormentorum, atque reliquæ prædæ numerum in publicas tabulas referrent: ut illustriores captivi Romam perducerentur, ibique in singulos foederatos pro cuiusque portione distribuerentur, decretum. Cum vero ad reliquam captivorum ac navigiorum partiendam prædam longiori mora opus esset, in id conventum, ut imperatorum quilibet captas a suis triremes, hostesque retineret, ea lege, ut cui minus, quam ex foedere deberetur, obtigisset, ei a reliquis satisfaceret. Penes regios, quibus Genuenses adcensebantur, triremes duo de sexaginta, biremes, ac rostratæ octo inventæ: apud Venetos ac pontificios triremes novem ac quinquaginta, biremes, ac rostratæ quinque; ut in universum decem ac septem supra centum Turcicæ triremes adnumerarentur; in his quatuor Venetæ erant in Aegæo ad Cephalleniam, atque Merleras insulas interceptæ, Vincentii Mariæ Prioli, Francisci Throni, Michaelis Barbadiçi, ac Petri Bertholacii; biremes ac rostratæ tredecim fuere. Harum dimidia pars Joanni Austriaco est attributa, reliqua Venetis ac pontificiis cessit; idem in captivis dividendis servatum; ex omni summa trecenti ac quadraginta octo pro decuma Austriaco imperatori obtigere. Tormenta grandiora decem ac septem supra centum, varii generis ducenta ac sexaginta tria adnumerata. Iis ab Austriaco decumatis, reliqua pars, uti cetera, distributa fuit.

Interea Joannes Andreas Auria, quique ad Leucadem explorandam profecti erant, revertuntur; neque opere munitum, neque com meatu, neque bellicis præsidiis ita instructum esse oppidum nunciant, quin, decem peditum millibus expositis, haud multorum dierum spatio occupari queat: pontem ligneum, quo arx continenti iungebatur, scindi ac disjici, facilimo ad austrum egressu, plano quinque passuum millium itinere subvehi tormenta oppido posse. Verumtamen hyeme instante, ne milites tempestatibus, ac cæli injuriis objicerentur, ab expeditione abstinendum censere. Itaque pertenui quoque ea spe evanescente, Corcyram cum universa classe imperatores contendunt. Inde Austriacus Messanam, Columna Neapolim pervenit; qui mox Romam profectus, solemni pompa, prisco triumphantium more, præda atque exuviis ho-

*Joannes
Austriacus
Messanam,
Columna
Romam re-
vertuntur.*